PRECATIONES
ANTE ET POST
MISSAM
DICENDÆ
EX MISSALI ROMANO
ALIISQUE LIBRIS DE-
PROMPTÆ,
NUNC EMENDATIORES, AC
AUCTIORES PRODEUNT.

REIMPRESSUM
VARSAVIÆ
ANNO 1771.
Typis Collegi Soc: JESU.

Quam horrendum ſit Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in peccato mortali offerre.

Ex revelationibus B. Brigittæ lib: 1. cap. 47. lib: 4. c. 135. & l. 6.c.9,

COLLOQUIUM Chriſti cum B. Brigitta.

ILle Presbyter, pro quo tu oras, cùm accedit ad Altare, tunc averto faciem meam ab eo, & adſtant ad latera ejus Dæmones, cujus & animam inhabitant, quia ipſa eſt mortua ante me.

Cúm imponit ſibi ſuperhumerale, hoc eſt amictum, Dæmones obumbrant animam ejus, ut non cogitet, & non intelligat, quàm terribile ſit, accedere ad Altare meum, & quàm mundus eſſe debeat, qui mihi mundiſſimo adſtare debet.

Cúm induit ſe Albâ, duritiâ cordis, & indevotione induitur, quia cogitat peccatum ſuum non eſſe grave, ſupplicium æternum futurum

non magnum: & quale gaudium eſt æternum, nunquam venit in mentem ejus.

Cúm cingit ſe Cingulo, tunc ligatur voluntas ejus cum Diabolo, eó quod velit, & proponat morari in peccato, & tunc diſſolvitur charitas mea ab eo, quia voluntas ejus eſt ad omne id, quod Diabolus ei inſpirat in mentem.

Cúm imponit ſibi manipulum, omnia opera ad Deum ſibi fiunt gravia, oneroſa, & erube-

ſcibilia, terrena autem levia.

Cúm imponit ſibi ſtolam, Diabolus grave jugum imponit collo ejus, & ſic onerat animam ejus, quod non ſinit eum ingemiſcere, vel conſiderare peccatum ſuum.

Cúm induit ſe Caſulâ, tunc perfidiâ induit eum Diabolus: quando autem legit Confiteor, Dæmones reſpondent, mentitus es, nos ſumus teſtes, quòd Confeſſio ejus eſt ſimilis Judæ,

quia dicit aliud ore, & aliud habet in corde.

Quando verò conſecrat Corpus meum, tunc fugiunt Dæmones ab eo, & corpus ejus remanet quaſi truncus, quia anima ejus mortua eſt ante oculos meos.

Cúm autem corpus meum applicat ad os ſuum, ex præſumptione illa, omnis turba Dœmonum revertitur ad eum, quia charitatem nullam ad me habet.

Ecce tales Sacerdotes, non ſunt mei Sa-

cerdotes, ſed veri proditores, ipſi enim & me vendunt, & quaſi Judas produnt. Ego conſpicio Paganos, & Judæos, ſed nullos video eis deteriores. Quia ipſi Sacerdotes ſunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer.

Maledictus ſit cibus, & potus eorum, qui intrat in os eorum, & paſcit corpus in cibum vermium, & animam in infernum.

Maledictum ſit ergo omne, quod de terra ad

utilitatem ſuam recepe-
rint, quia non laudant
Deum Creatorem ſuum.

Maledicti ſint a cœlo
& terra, ab omnibus
creaturis inſenſatis, quia
ipſæ obediunt Deo &
laudant, & iſti ſpreve-
runt.

Maledicta ſit hora,
quæ incipit eis in infer-
no, & nunquam finie-
tur.

Maledicti ſint anni
eorum, quibus vixerint
inutiliter.

Maledictus ſit viſus
eorum, quia non vide-

bit visionem Dei in me, sed tenebras & pœnas Inferni.

Maledictæ sint aures eorum, quia non audient verba mea, sed clamorem Inferni, & horrorem.

Maledictus sit Gustus eorum, quia non gustabunt de bonis meis æternis gaudium, sed amaritudinem æternam.

Maledictus sit tactus eorum, quia non tractabunt me, sed ignem perpetuum.

Maledictus sit Odora-

tus eorum, quia non odorabunt odorem illum ſvaviſſimum in Regno meo, excedentem omnia aromata; ſed fætorem in inferno habebunt amariorem felle, & pejorem ſulphure.

Maledictum ſit Corpus eorum, quod reſurget, in inferno ſine fine arſurum.

Propterea juro in veritate mea, quia ſum Veritas, quod ſi ſic moriuntur, ſine fine damnabuntur. Væ talibus! & melius eſſet, quòd nunc

quam nati fuerint: ipſi enim profundiús cadunt in infernum, quàm aliquis aliùs.

Sacerdoti indignè celebranti exhortatio.

Heu miſer Sacerdos qui mortuus Cœlo, vivis in inferno, atque Diabolum habes in corde tuo, & ad Sanctum accedis Altare, ad profanandum Sanctuarium Dei. & illudendum nomen Sanctum ſuum, ore benedicis, & corde maledicis; in faciem benigni Salvatoris conſpuis,

dum Verba Sacramenti immundo ore profers, & Majeſtatem illam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, & omnis Curiæ cæleſtis exercitus inceſſabili voce proclamat, Sanctus, Sanctus, Sanctus, tu impiè irrides, ac blaſphemas, quando corde ſiles, & ore veluti Canis latrans, clamas: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantùm dic verbo, & ſanabitur anima mea: & ponis illam ſanctiſſimam

Carnem in os tuum immundum, ex Spiritu ſancto, in utero Virginis immaculato conceptam, eam, quæ eſt mundi pretium, dentibus tuis venenatis mordes, devoras, & projicis in ſterquilinium animæ tuæ, quaſi in lutum platearum. Non minùs eſt deteſtabile in os pollutum, quàm in lutum ſepelire Dei Filium, Patrem tuum Creatorem, & Redemptorem, pretium redemptionis noſtræ. O Judæis pejor, & Judâ

deterior, horret infernus, contremiſcunt Diaboli, cúm tu temerè præſumis Corpus & Sangvinem Chriſti indignè manducare, & ſi non morieris poſt ſacrilegam ſumptionem, út Judas, vives pro majori ſupplicio, & graviori pœna; & ſi non convertaris, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicij Deî, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus, & tantó diſtrictior erit in judicio, quantó tibi ante judici-

um majorem patienti-
am prorogavit.

Diſce ab irrationali-
bus, Sanctiſſimam Eu-
chariſtiam venerari in-
digne Sacerdos ; nam
aſini inſipientes, ſed te
ſapientiores, Auguſtiſ-
ſimum hoc Sacramen-
tum venerati ſunt, út
habetur in Annalibus
Societatis JESU, lib: 2.
c. 27. Muli etiam, ut
patet in vita Sancti An-
tonii: Rudes oves, in
vita Sancti Franciſci,
& boves, út refert Cæ-
ſar. Lib: 9. cap. 7. &

denique apes, ut Petrus Cluniac. Canisius, Bozius, &c.

Considera tandem in vita, Deum Opt. Max. scelestos Sacerdotes punivisse; nam multi, ab araneis impetiti, à cancro confecti, lingvæ stupore, subitaque morte castigati: sed quod magis horridum est, & contremiscens refero. Aliqui cælesti igne combusti, nonnunlique in ipsomet sacrificandi actu, visibiliter à dæmonibus suffocati fuerunt,

atque eorum corpora in inferno ſepulta. Vide Baron: Anno 362. & Cedren. SS. Cyprian: Auguſt: lib: Miracula Sanctiſſimi Sacramenti. Cave, ne & tibi hoc accidat: cum timore, & tremore ad hanc regalem menſam accede.

Agnoſce, frater chariſſime, Sacroſanctam regalem dignitatem tuam, quali honore ſis inſignitus, quem Virgo, & Mater genuit, tu verbis concipis: & quali menſa fruaris. Carne, & San-

guine Domini Noſtri Jeſu Chriſti paſtus es: o felix exercitium! ô Sanctitudo manuum! ô lingva benedicta! ô pectus Sacratum! ô Venter Beate ſi hoc manè, ea puritate mentis, & corporis, qua debes, recipies Corpus Chriſti, eris altera Maria, cujus venter fuit Paradiſus Filii Dei, & Sacrarium Spiritus Sancti.

EXAMEN
CONSCIENTIÆ.

Reſponde mihi anime mi, quantas habeo ini-

quitates; ſcelera mea, & delicta oſtende mihi, ô mi Deus, quibus ego te peccatis offendi.

1. Quomodo Præparatio, Miſſa, Gratiarum actio fuerunt peracta?

2. Si aliquid habes contra fratrem tuum, vade priùs reconciliari illi, & tunc venies offerre munus tuum ad altare.

3. Lingua, SS. Euchariſtiæ ferculum, an commaculata verbo immundo, contumelioſo, murmuratorio, ſarcaſtico, gloriabundo, mendaci,

turpi, maledico &c.

4. Horæ Canonicæ an distractè, an non debito tempore, præproperè & mutilatè recitatæ.

5. Meditatio, Examen, omissa, non benè absoluta.

6. Temperantia in cibo potuque in prandio, in cœna, extra prandium & cœnam &c.

7. An principali Officio satisfactum.

8. An cum recta intentione ac fervore dilectionis omnia transacta?

Hæc, & omnia totius

vitæ peccata deteſtor ſupra omnia mala, quæ tibi Deo meo diſplicent, cui ego placere. quàm maximè cupio, quia me indignum, usque & usq; reddunt tua liberali & amica gratia: quia arctiorem illam unionem, ad quam anhelo, retardant, quia impediunt guſtum illum, & ſvavitatem; & fructum hujus Sacramenti, quem devotè celebrantibus ſervis tuis impertiri ſoles. Utinam te nunquam offendiſſimem digniſſime perpetuo amo-

re Deus! Utinam omnia desideria cordis tui ad amussim explevissem! Doleo qvàm possum intensissimè. Peto veniam, propono emendationem. O utinam ex intimo erga te amore omnes voluntates tuas perficiam! utinam tibi iam abinde perfectiùs serviam!

)(S)(

ORATIO
Ad SS. Trinitatem.

O Beata Trinitas, Pater Fili & Spiritus Sancte, hoc Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini nostri JESU Christi celebraturus advenio.

1. In Confessionem supremi Dominii, quod habes in omnes creaturas: & subjectionis omnimodæ, quam omnes creaturæ habemus ad te.

2. In commemorationem acerbissimæ passionis & mortis Jesu Christi

ſti & Domini mei. qui dixit: Hæc quotieſcunque feceritis, inmeam commemorationem facietis.

3. In gratiarum actionem infinitarum divitiarum SSmæ humanitatis ejuſdem Filii Dei & Redemptoris mei ac ſingulorum donorum, quibus affeciſti B. Virginem, omnes Angelos & Sanctos, & præcipuè N. cujus hodie ſolemnem memoriam facimus.

4. Item in gratiarum

actionem omnium beneficiorum, quibus in hoc sæculo omnes prædestinatos magnificas, & me quoq; indiguissimum & vilissimum peccatorem afficis.

5. Hoc sacrificium tibi specialiter offero pro hac Persona viva (vel defuncta) aut pro hac necessitate aut negotio, pro quo celebrare intendo.

6. Item secundariò offero pro remissione omnium meorum peccatorum, pro quibns ve-

hementer doleo, & pro mortificatione mearum paſſionum pro victoria hujus tentationis &c.

7. Item pro adeptione virtutum omnium: ſpecialiter amoris tui, ſuper omnia, pro dono orationis, pro theſauro perfectæ patientiæ, humilitatis, contemptûs mundi. Tua gratia Deus me prævenire dignetur, ut dignè hoc Sacroſanctum ſacrificium peragere poſſim, ut non proveniat mihi in Judicium & condemnatio-

nem, ſed in gloriam ſempiternam. Amen.

Oratio.

Benigniſſime Jeſu, fons amoris, & Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui pro ſalute humani generis, Corpus tuum Sanctiſſimum, pignus futuræ gloriæ, nobis Filiis, & hæredibus reliquiſti, quod ſola fide cernitur, & corde firmiter creditur, communione Carnis, & Sanguinis tui nos Divinitatis eſſe participes volui-

ſti; Te humiliter depre-
cor, ego cinis, & pulvis,
& nihil, antequam ac-
cedam ad Altare tuum,
quod eſt Cœlum, & Pa-
radiſus, mihi concede-
re digneris tuam San-
ctam benedictionem,
perfectam cordis contri-
tionem, oris plenam
confeſſionem: & operis
completam ſatisfactio-
nem, ut tuum ſanctum
Sacrificium immacula-
tam Hoſtiam cum lacry-
mis offerens in ſublimi
Altari tuo, nive candi-
dior, illoque purior di-

gnè recipere valeam, in remiſſionem peccatorum meorum, omniumque vivorum, in refrigerium mortuorum, in gaudium Sanctorum, letitiam Angelorum, & totius Trinitatis gloriam ſempiternam, Amen.

PRÆPARATIO
AD MISSAM.

Pro opportunitate Sacerdotis facienda.

Antiphona. Ne reminiſcaris Domine, deli-

cta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quae Antiphona in Festis duplicibus tantum, duplicatur. Et tempore Paschali additur in fine Alleluja.

Deinde dicuntur sequentes Psalmi.

Psalmus 83.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro

mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus, & Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco quem posuit.

Etenim Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: magis

quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te,

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto:

Sicut erat in principio, & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

Pſalmus 84.

Benedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.

Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.

Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam à nobis.

Numquid in æternum iraſcêris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationẽ

Deus, tu converſus

vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.

Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper Sanctos ſuos: & in eos, qui convertentur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia, & veri-

ritas obviaverunt ſibi: juſtitia & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos. Glori: Pa:

Pſalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum tuum, Deus meus ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſvavis, & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe orationem meam: & inten-

de voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in diis Domine: & non eſt ſecundum opera tua.

Omnes gentes quascunque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in

veritate tua: lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

E tu Domine Deus miſereator, & miſericors patiens, & multae miſericordiæ & verax.

Reſpice in me. & miſerere mei: da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

Gloria Patri &c.

Pſalmus 115.

Credidi, propter quod

locutus ſum : ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus : pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.

O Domine, quia ego

servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: in atriis domûs Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri, &c.

Psalmus 139.

De profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſra-el ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſaecula ſaeculorum. Amen.

Deinde repetitur Antiph.

Ne reminiſcaris Domine, delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Poſteà Sacerdos dicit.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣ Ego dixi. Domine miſerere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi. ℣ Convertere Domine aliquantulum. ℟ Et deprecare ſuper ſervos tuos. ℣. Fiat miſericordia tua Dominè ſuper nos. ℟. Quemadmodum ſperavimus in te. ℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam. ℟. Et Sancti tui exultent. ℣. Ab oculis meis munda

me Domine. ℟. Et ab alienis parce ſervo tuo. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟ Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratiâ ſancti Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis dignè miniſtrare, teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor

patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri. ut te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur.

Ure igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus; & mundo corde placeamus.

Mentes noſtras, quaeſumus Domine, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet & inducat in

omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit nobis, quæſumus Domine: virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius conſolatione ſemper gaudere.

Conſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica, ut ve-

niens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæcolorum. ℞. Amen.

ORATIONES

Pro opportunitate Sacerdotis ante Celebrationem & Communionem dicendæ.

Oratio Sancti Ambros. Episcopi.

Die Dominica.

Summe Sacerdos

vere Pontifex JESU Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram & immaculatam, in ara Crucis pro nobis miseris, & peccatoribus, & qui dedisti nobis Carnem tuam ad manducandum, & Sanguinem tuum ad bibendum, & posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti, dicens: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Rogo per eundem Sanguinem tuum, magnum salutis nostræ pretium:

rogo per hanc miram, & ineffabilem charitatem, qua nos miseros, & indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sangvine tuo. Doce me servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua, etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ: doce me, quæso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reveren-

tia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet, & decet. Fac me per gratiam tuam, ſemper illud de tanto myſterio crederé & intelligere, ſentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi placet, & expedit animæ meæ. Intret ſpiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe ſunt nimis, & ſacro tecta velamine. Pro-

pter magnam clementiam tuam concede mihi, Missarum solemnia mundo corde, & pura mente celebrare: Libera cor meum ab immundis, & nefandis, vanis, & noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia, & fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, & per manum sancti Angeli tui, repelle a me, & a cunctis servis tuis durissimum spiritum

ſuperbiae, & cænodoxiæ, invidiæ, & blaſphemiæ, fornicationis, & immunditiæ, dubietatis, & diffidentiæ. Confundantur, qui nos perſequuntur: pereant illi, qui nos perdere feſtinant. *Feria ſecunda.* Rex virginum, & amator caſtitatis, & integritatis celeſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor caſtitatis corporis, & animæ. Mortifica in membris meis carnis ſti-

mulos, omneſq ; libidinoſas commotiones, & da mihi veram, & perpetuam charitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate: ut ſacrificium laudis caſto corpore, & mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, & lacrymarum fonte, quanta reverentia, & tremore, quanta corporis caſtitate, & animæ puritate iſtud Divinum, & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum, ubi caro tua

in veritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima ſummis, terrena divinis junguntur, ubi adeſt ſanctorum Angelorum præſentia, ubi tu es ſacrificium, & Sacerdos mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus.

Feria tertia.

Quis digne hoc celebrare poterit, niſi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? Scio Domine, & vere ſcio, & idipſum pietati tuæ confiteor, quia

non ſum dignus accedere ad tantum myſterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, & ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, & de peccatoribus juſtos, & ſanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc ſacrificium celebra-

re cum timore, & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpirituali, & cœleſti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ tuæ, & excubias ſanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

Ego enim Domine, memor venerandæ paſſionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi ſacrificium, quod tu inſtituiſti, & offerre præce-

pisti in commemoratio-
nem tui, pro salute no-
stra. Suscipe illud quæ-
so, summe Deus, pro
Ecclesia sancta tua, &
pro populo, quem ac-
quisivisti sangvine tuo.
Et quoniam me pecca-
torem inter te, & eun-
dem populum tuum, me-
dium esse voluisti, licet
in me aliquod boni o-
peris testimonium non
agnoscas, officium sal-
tem dispensationis cre-
ditæ non recuses, nec
per me indignum, eo-
rum salutis pereat pre-

tium, pro quibus victima, ſalutariſque dignatus es eſſe redemptio. Profero etiam Domine (ſi digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates per grinorum, inopiam de bilium, deſperation langventium, defect ſenum, ſuſpiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria quint a.

Tu enim miſereris o-

mnium Domine: & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Memorare, quæ ſit noſtra ſubſtantia, quia tu Pater noſter es, quia tu Deus noſter es; ne iraſcaris ſatis, neque multitudinem viſcerum tuorum ſuper nos contineas. Non enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates noſtras, & ignem ſancti Spiritus in nobis clementer accende. Au-

ſer cor lapideum de carne noſtra, & da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te ſequatur, te perfruatur. Oremus Domine clementiam tuam, ut ſereno vultu familiam tuam, ſacri tui nominis officia praeſtolantem aſpicere digneris: & ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, tu nobis preces ſuggere, quas ipſe propitius audire, & exaudire delecteris.

Feria sexta.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, & pro spiritibus fidelium defunctorum: ut sit illis salus, sanitas, gaudium, & refrigerium, hoc magnum pietatis sacramentum, Domine Deus meus, sit illis hodie magnum & plenum convivium de te pane vivo, qui de Cœlo descendisti, & das vitam mundo, de tua carne sancta & benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi, quae

de ſancto & glorioſo beatae Virginis Mariae utero eſt aſſumpta, & de Spiritu ſancto concepta; ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo ſacratiſſimo latere emanavit: ut exinde refecti, & ſatiati, refrigerati, & conſolati, exultent in laude, & gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut deſcendat ſuper panem sibi ſacrificandum plenitudo tuae benedictionis, & ſanctificatio tuae divinitatis. Deſcen-

det etiam Domine, illa ſancti Spiritus tui inviſibilis, incomprehenſibiliſque majeſtas, ſicut quondam in Patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras Corpus, & Sangvnem tuum efficiat, & me indignum Sacerdotem doceat tantum tractare myſterium cum cordis puritate, & lacrymarum devotione, cum reverentia, & tremore, ita ut placide, ac benigne ſuſcipias ſacrificium de manibus meis, ad ſalutem omnium, tam

vivorum, quam defun-
ctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te Domi-
ne, per ipsum sacrosan-
ctum mysterium Corpo-
ris, & Sanguinis tui,
quo quotidie in Ecclesia
tua pascimur, & pota-
mur, abluimur, & sancti-
ficamur, atq; unius sum-
mae divinitatis partici-
pes efficimur: da mihi
virtutes tuas sanctas,
quibus repletus, bona
conscientia, ad Altare
tuum accedam, ita ut
haec cœlestia Sacramen-

ta, efficiantur mihi ſalus, & vita. Tu enim dixiſti ore tuo ſancto, & benedicto: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, ut ſentiam ſvavitatem amoris tui. Sana illud ab omni langvore, ut nullam praeter te ſentiam dulcedinem. Panis candidiſſime, habens o-

mne delectamentum, & omnem ſaporem, qui nos ſemper reficis, & numquam in te deficis: comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animae meae; Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via, tali recreatus Viatico. Panis ſancte, panis vive, panis munde, qui deſcendiſti de cœlo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & mun-

da me ab omni inquina-
mento carnis & ſpiritus.
Intra in animam meam,
ſana, & munda me inte-
rius, & exterius. Eſto
tutamen, & continua ſa-
lus animae & corporis
mei. Repelle a me in-
ſidiantes mihi hoſtes:
recedant procul a prae-
ſentia potentiae tuae,
ut foris, & intus per te
ſ[illegible]unitus, recto tramite
[illegible]ud tuum regnum perve-
niam: ubi non in myſte-
riis, ſicut in hoc tempo-
re agitur, ſed facie ad
faciem te videbimus,

cum tradideris regnum Deo, & Patri, & erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica, ita, ut nec eſuriam, nec ſitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas per omnia ſæcula ſaeculorum Amen.

Alia Oratio ante Miſſam.

Ad menſam Dulciſſimi convii tui, pie Domine Jeſu Chriſte, ego peccator, de propriis meritis nihil præſumens,

ſed de tua cōfidens miſericordia & bonitate, accedere vereor & contremiſco. Nam cor, & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & lingvam non caute cuſtoditam. Ergo ô pia Deitas, ô tremenda majeſtas, ego miſer inter anguſtias deprehenſus, ad te fontem miſericordiæ recurro, ad te festino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio, & quem Judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuſpiro

Tibi

Tibi Domine plagas meas oſtendo tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa, & magna, pro quibus timeo. Spero in miſericordiis tuis, quarum non eſt numerus. Reſpice ergo in me oculis miſericordiæ tuæ, Domine Jeſu Chriſte, Rex æterne, Deus, & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me, ſperantem in te: miſerere mei pleni miſeriis & peccatis, tu qui fontem miſerationis nun-

quam manare cessabis. Salve salutaris victima, pro me, & omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salve nobilis & pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo Sangvine redemisti. Pœnitet me peccasse: cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates, & pec-

cata mea: ut purificatus mente & corpore digne deguſtare merear ſancta ſanctorum, & concede, ut ſancta prælibatio Corporis & Sangvinis tui, quem ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio, ſit delictorum perfecta purgatio, ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum ſenſuum regeneratio, operumque tibi placentium ſalubris efficatia, animæ quoque & corporis contra inimicorum meorum inſi-

dias, firmissima tuitio. Amen.

Oratio Sancti Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri JEsu Christi: accedo tanquam infirmus ad medicum vitæ: immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper, & egenus ad Dominum cœli & terræ, Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam,

quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare faeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, veſtire nuditatem, ut te panem Angelorum, Regem Regum & Dominum dominantium, tanta ſuſcipiam reverentia & humilitate, tanta contritione & devotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animae meae. Da mihi, quaeſo, Dominici Corporis & Sangvi-

nis, non ſolum ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem & virtutem Sacramenti. O mitiſſime DEus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod traxit de Virgine Maria, ſic ſuſcipere, ut corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O amantiſſime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem fa-

cie, perpetuo contemplari. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum, Amen.

Oratio dicenda ante Missam,

Deus, qui de indignis dignos facis, & de peccatoribus justos; & de immundis mundos: munda cor, & corpus meum ab omni contagio, & sorde peccati, & fac me dignum, atq; strenuum sanctis Altaribus tuis ministrum, concede p[illegible]

pitius, ut in hoc altari, ad quod indignus acce- do hoſtias acceptabiles atq; placabiles offeram pietati tuae, pro pecca- tis, & offenſionibus me- is, innumeriſq;, & quoti- dianis exceſſibus meis, atque cunctorum ſimul Chriſtianorum culpis a- bluendis. Et per eum ſit tibi votum meum ac- ceptabile, qui ſe tibi Deo Patri pro nobis ob- tulit ſacrificium. Qui te- cum vivit, & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſaecu- la ſaeculorum. Amen.

Alia Oratio ante Miſſam
Ex Catholico Verepaei.

Adoro te, & gratias a-
go tibi, amantiſſime Do-
mine Jeſu Chriſte, pro
innumeris beneficiis, do-
niſq; tuis, mihi indigniſ-
ſimo praeſtitis. Omnia
illa in te refundo, & tibi
offero in laudem aeter-
nam. Gratias ago pro
Incarnatione, Nativita-
te, laboribus, aerumnis, &
paſſione, morte, Reſurre-
ctione, & Aſcenſione
tua: Gratias ago, quòd
me viliſſimum peccato-
rem admittere dignaris,

ad ſplendidum, vivificumq; Sacrae Menſae tuae convivium. Bone JEſu, per illum amorem, qui te incarnari, pati, & mori pro me coegit, rogo te, ut ab omni peccato me plene emundes, & tibi per omnia placentem reddas, Exorna egenam animam meam meritis, ac virtutibus. Praeſta, ut humili reverentia, ardenti deſiderio, & caſto affectu offeram tibi ſanctum Miſſae ſacrificium, in memoriam eorum omni-

um, quae pro ſalute mea facere; loqui, & tolerare voluiſti. Perficiam hoc puriſſime ad gloriam nominis tui ſempiternam, ad honorem dulciſſimae Genitricis tuae Virginis Mariae, ad honorem omnium Sanctorum tuorum, omniumq; bonorum Angelorum, ad ſalutem meam ad ſalutem N. ad ſalutem omnium fideli[um] vivorum & defunct[orum] Miſerere Domine, [mi]ſerere Eccleſiae tu[ae] Adeſto omnibus, pro

quibus pretioſum ſangvinem tuum fudiſti. Da vivis veniam, & gratiam. Da fidelibus defunctis requiem, lucemq; ſempiternam. Tibi laus, Chriſte Jeſu, in ſaecula ſaeculorum. A.

Precatio ad Beatiſſimam Virginem Mariam, Ante Miſſam.

Ex Catholico Verepaei.

O Mater pietatis, & [illegible]ricordiae beatiſſima [illegible]o Maria, ego miſer, [illegible]dignus peccator ad [illegible]confugio toto corde, & affectu: & precor pie-

tatem tuam, ut ſicut dulciſſimo Filio tuo in Cruce pendenti adſtitiſti, ita & mihi miſero peccatori, & Sacerdotibus omnibus hic, & in tota ſancta Eccleſia. hodie offerentibus, clementer aſſiſtere digneris, ut tua gratia adjuti, dignam & acceptabilem hoſtiam, in conſpectu ſummae, & individuae Trinitatis, offerre valeamus. Amen.

Ad Sanctum, cujus ho-die feſtum celebratur, ante Miſſam precatio.

Ex Catholico Verepaei.

O Sancte N. ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus, offero nunc Sacratissimum Sacramentum Corporis, & Sangvinis Domini nostri Jesu Christi pro tuo honore, & gloria. Precor te humiliter, & devote, ut pro me hodie intercedere digneris, ut ...tum sacrificium di... , & acceptabiliter ...re valeam. Et eum ...m, & cum omnibus ...ctis ejus, aeternaliter ...udare, atq; cum eo re-

gnare valeam. Qui vivit, &c.

Oratio devotissima dicenda a Sacerdote, ante vel post celebrationem Missæ

Pater cœlestis, clementissime Domine, Pater misericordiarum, suscipe hodie per manus servi tui hoc sacrosanctum sacrificium, verum Corpus, & Sangvinem unigeniti Filii tui D mini nostri Jesu Chri in satisfactionem, & missionem omnium p catorum meorum, in lutem, & fortitudine

animae meae, & totius
domus meae, &, omni-
um illorum, quibus ali-
qua obligatione teneor,
& omnium Dominorum,
Praelatorum, Praedica-
torum, Sacerdotum, &
Religioſorum Catholi-
